

tem tenuisse Rempublicam, quod interfluentibus a quibus divisi sint cives, cum Joh. Botero arbitratur Forstnerus. 1)

a) Polit. Liv. lib. 1. art. 17. b) lib. 2 de Mag. Rom. c) in post. annotat. 11. d) lib. 2. e) Sigon. lib. 1. de rep. Athen. cap. 2. f) Oldendorp. in restaur. polit. lib. 2. §. 2. g) Sveton. Aug. cap. 65. h) Facius l. cit. i) Not. pol. ad lib. 4. Ann. cap. 2.

XIX. Quoniam autem, ut supra monitum fuit, potentiam *II. Quoad* is habet, qui non solum sua conservare, sed etiam alia obtinere *obtinendi* potest, necesse est ut, si Romulo ejusque Reipublicæ potentiam tri- *facultatem.* buere velimus, posterius etiam membrum in ipso exhibeamus. Ubi primo loco quaeritur, *an Princeps jure alia invadere sibi, ven-* dicare possit? Respondetur, si fiat ob regnandi desiderium, atque imperii saltem proferendi causa, injustissimum esse bellum. Sunt enim quidam homines adeo feri & feroces, ut cum Tiridate Armeniæ Rege, *id æquius, quod validius æstiment, & inde, sua retinere* privata domus: de alienis certare regiam laudem esse dicant. a) Non possumus, quin hoc loco ascribamus barbaram Solimanni Turcici orationem, quam capta Rhodo insula & exturbatis inde Hierosolymitanis egyptibus ad Philippum Villerium, Magnum illius ordinis Magistrum habitam ex Jacobo Fontano b) recenset Berneggerus: c) *Quod nullo odio, inquit tyrannus, tibi bellum intulerim, sed sola dominandi libidine, vel hinc potes colligere, quod te tuosque in violatis corporibus, intactis fortunis hinc dimittam. Haud enim bellagero, ut divitias & opes comparem; sed ad gloriam, famam, immortalitatem, protelationem imperii tendo. Est enim Regis, sanguine Regum orti proprium, rapere atque invadere aliena, non quidem avaritia, sed gloriosa cupidine dominandi: cui cum obstat vicinus, armis & vi eum tollere satis habeo. O hominem Alexandro M. felici terrarum prædoni d) simillimum; qui cum audiret ab Anaxarcho, plures esse mundos, effusis lacrymis conqverebatur, se hunc mundum nondum subegisse e) Talibus autem ingeniis reponimus illud Augustini f) *Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, implacatus & implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si quæ sunt similia, hæc erunt, quæ in bellis jure culpantur.* Videmus quid nobis hic objici possit; Maximam principum curam imperii proferendi esse debere, nec incommode Romanum Imperatorem vocari *semper Augustum, quod teneatur de amplificando Imperio cogitationes**